

ligo est densatus fumus parietibus inhærens. INDE COLLECTA PARTIM COMPOSITVR EX GUMMI SVBACTO AD VSVM ATRAMENTI LIBRARIJ, RELIQA TECTORES GLVTIVM ADMISCENTES PARIETIBVS VTVNTVR. Præter atramentū librarium, id est quod scribimus de quo Dioscorides lib. 5. cap. vltimo, hic triplex ratio faciendi atramenti tectorij præscribitur. Plinius. lib. 35. cap. 6. hunc locū est imitatus, cum enim dixisset atramentum natiuum, aut salisuginis modo emanare, aut terram ipsam sulphurei coloris ad hoc probari. Fit (inquit) & fuligine pluribus modis, resina, vel pice exustis, propter quod officinas etiam ædificauerunt, fumū eum non emittentes. Laudatissimum eodem modo è tædis. Adulteratur fornacium, balnearumq; fuligine, quo ad volumina scribenda vtuntur. Sunt & qui vini fecem siccata excoquant, affirmantq; si ex bono vino fæta fuerit, Indici speciem id atramentum præbere. SARMENTA, AVT TÆDÆ, SCHIDIÆ, COMBVRANTVR. Tollo subdistinctionem, & scribo. Tædæ schidiæ, id est fragmenta & veluti assuæ & secamenta tædæ arboris, de qua est apud Plin. lib. 16. cap. 10. Qua significatione vsus admonuimus lib. 2. cap. 1. SED ETIAM INDICI COLOREM DABIT IMITARI. Indicum præter id quod tanquam spuma in indicis harundinibus nascitur, est & spuma purpurea innatās insectoriis corticibus. Optimum autem quod ceruleum est, auctore Dioscoride lib. 5. cap. 28. Et Plin. lib. 35. cap. 6. Hoc genus

quomodo